



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 5. De Virginitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)



stola pulcherrima Castitatis, & corpora nostra mundiciæ virore nobilitata, vt ex corpore & animo nostro, in nobismetipsis magnificum Spiritui sancto habitaculū extruamus. Amen.

*De Virginitate. §. V.*

**V**irginitas est virtus, qua quis, nunquam corruptus, firmiter statuit, carnis suæ integritatem perpetuò seruare, & ab impura voluptate corporis abstinerere. Vel est, vt Ambros. ait: *expers contagionis integritas*. Vel, vt August. *In carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio*. Meditatio autem significat propositum, multam curam & considerationem ad sui custodiam requirens.

*Ambros. lib. de virg. Aug. li. de virg. c. 13.*

Incitamenta ad Virginitatem sunt:  
**I.** Virginibus hoc donum concessum est, vt à Christi latere nunquam discedant, sed ipsum semper cingant & comitentur. *Vidi: inquit Ioannes, & Apocal. ecce Agnus stabat supra montem Sion, 14. 1. & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptū in frontibus suis.*

Et



Ibidem  
num. 4.

Et postea: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit.* Christus apparet agnus, nō leo, quia animæ virgines sunt agnæ, & ipse est sponsus agnarum. Apparet stans quasi præcinctus ad adiuuandum, quia virginitas, donum Dei est, quod non viribus nostris, sed præsidio agni custodimus. Nam & in libro sapientix legimus: *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientia, scire, cuius esset hoc donum; ady Dominum, & deprecatus sum illum:* Apparet in monte, aut supra montem, quia virginitas supra naturam est, quam qui colunt, puriori celo gaudent, & humilia atque abiecta relinquunt. Agnum ergo virgines cingunt, quia ob vitæ puritatem illum imitantur, & cum illo conuersantur. Et quocumque ierit, ipsum sequuntur; quoniam in hac vita post ipsum præeuntem currunt, & in futura vita iuxta ipsum in honorabilissimo loco manebunt.

II. Virginitas homines similes Angelis



gelis facit, immò & quodammodo maiores reddit. Ad quòd optimè *chryf. lib.* Chryfoft. ait: *Virginitas est bonum, idde virg. ego quoque fateor. Atqui nuptijs etiam cap. ii. melior, & istud tibi assentior, ac si libet, illud adiungam, tanto nuptijs eam præstare, quanto cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt, ac, si quid præterea audendū est, etiam magis. Nā si neque nubunt Angeli, nec vxorem ducunt, non etiam carne & sanguine coagmentati sunt, in terris præterea non commorantur: non cupiditatum aut libidinum perturbationibus sunt obnoxij, non cibi indigent aut potus, nō sunt eiusmodi, vt eos dulcis sonus, aut cantus mollire, aut præclara species possit allucere: nulla denique eius generis illecebra rapiuntur: sed quemadmodum cœlum, summo meridie, nullis perturbatum nubibus, purum & lucidum apparet; sic Angelorum natura, nullis cōmota perturbationibus, necessariò clara permanet & illustris. At humanū genus, cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi studioq; cōtendit, vt quoad eius fieri potest, illas assequatur. Quomodo?*

M non



non nubunt Angeli, neque uxorem ducunt? at neque etiam virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inserviunt, & istud ipsum virgo.

III. Per virginitatem anima Dei similis aut deiformis efficitur. Incorruptio enim, ut in libro Sapientiae dicitur, facit esse proximum Deo, & Basil. de virgini. filius ait: Magnum re vera quiddam ac preclarum, virginitas est, qua hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Certè quidem Gregorius Nazianzenus Deum virginem & coniugij expertem appellat. Quin & in Psalmo pro eo, quod nos habemus: Apprehendite disciplinam, alij legunt: Adorate puritatem, id est, Deum, qui purissimus est. Quid autem puritati increatae similis in nobis esse potest, quam ipsa puritas creata, qua corpore & mente virgines, animæ purissimæ existunt?

Actiones Virginitatis sunt: I. Corporis incorruptionem, cum qua nascimur, sponte conseruandam eligere, atque firmiter statuere, per totam vitam ab delectatione carnis abstinere.

II. Non



II. Non solum corpus, sed multo magis animam, ab omni cogitationis & desiderij carnalis pollutione seruare.

III. Carnis & mentis integritatem vniuersis dignitatibus antepondere: sicut fecit Beata Virgo, quæ ad matris Dei dignitatem inuitata, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum* Luc. 1.34. *non cognosco.*

IV. Omnes occasiones fuscandæ integritatis vitare.

V. Personas suspectas prudenter cauere, quæ possunt gemmam virginitatis eripere. Cuilibet autem mulieri suspectus sit quilibet vir, licet sanctus habeatur; & cuilibet viro quæuis mulier, licet sancta & perfecta reputetur.

VI. Media ad virginitatem ex affectu eius assumere: cuiusmodi sunt secundum Albertum, *victus parcitas, Alber. in sultus vilitas, corporis incommoditas, paradiso & fugere locum & tempus, impudicitie* animæ *cap 6.* *oppportunum.*

VII. Ad finem virginitatis, nempe ad diuinam contemplationem, & ad



intimam cum Domino familiaritatē diligenter properare.

Postulatio Virginitatis: Domine Iesu Christe, virgo purissime, & virginis filius, & virginum sponsus, & virginitatis antesignanus: da his, qui incorruptionem sui corporis seruaerunt, modestē de se sentire, & impensē virginitatem amare: his verò, qui eam perdiderunt, incorruptionis defectum humilitate supplere; vt puritas animæ & corporis, tibi in illis humilitate sit grata, & caro in his flore incorruptionis orbata, sit per poenitentiam & humilitatem accepta. Amen.

De Pudicitia. §. VI.

**P**udicitia à pudore dicta, est virtus, qua aspectum, os, & manus continemus, ne in aliquid indecens minusue honestum tendant, quod munditia Castitatis officiat. Est ergo pars quædam Castitatis, quæ ab indicatijs & actibus

D. Tho. 2. præuijs venereorum auocat, quales  
2. q. 151. sunt, aspectus impudici, oscula, & ta-  
art. 4. ctus, vt D. Thomas ait.

Inci-